



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. 3. Voluntas imperat appetitui materiali, sed politicè tantùm, &
indirectè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

mentem avertere à certis cogitationibus, tamen non possumus. Ergo, &c. Ratio est, quia sapè, anima planè reluctante, excitantur certa phantasmata, quibus commoveretur organum internum, qua commotione facta, non potest anima non percipere & cognoscere. Item sapè commotio, facta in organo interno, tanta est, ut diu, etiam invita anima, perseveret; quia perseverante, non potest anima non perseverare in perceptione & cognitione.

RESPONSIO II.

Voluntas imperat phantasiam, sed politicè tantum.

Prob. 1. pars. Nam voluntas applicat phantasiam ad perceptionem certorum objectorum, & ab aliorum perceptione avocatur. *Prob. 2. pars.* Nam phantasia resistere potest, & sapè resistit voluntati: cum sapè, anima omnino repugnante, certis, puta obsecris objectis adhaereat, propter rationem allatam Relp. I. Potest enim ab objectis illis, vel eorum phantasmatis commotio, facta in organo interno, continuari, anima omnino invita, vel à dæmone, vel à sanguine ad cerebrum appellente, vel ab aliis phantasmatis affinitatem aliquam aut connexionem cum illa commotione habentibus, vel propter singularem ad illam commotionem fibrarum organi habilitatem, sive à generatione insitam, sive usu comparatam.

RESPONSIO III.

Voluntas imperat appetitui materiali, sed politicè tantum, & indirectè.

Prob. Nam 1. voluntas potest utcumque applicare appetitum materiale ad actiones suas, eumque ab illis cohibere: possumus enim utcumque pro arbitrio passiones compescere, & excitare. 2. Appetitus materialis resistere potest, & quandoque resistit: quandoque epim, reluctante anima, excitantur passiones in corpore, & excitatur quandoque adeo furunt, ut vix ac ne vix quidem cohiberi & componi possint. Quomodo autem hoc utrumque fiat, supra explicatum est. 3. Voluntas non applicat appetitum materiale ad actiones suas, aut ab illis cohibet per se ipsam immediatè, sed per phantasiam, cujus est excitare talia phantasmata, à quibus causatur talis commotio in organo interno, ex qua sequitur talis determinatio spirituum animalium, quæ tali actioni appetitus materialis prærequiritur. Phantasia autem phantasmata excitat, sicut organum interni ex imperio voluntatis singulatum pertentando, donec incidat in illas, quæ continuitatem habent cum phantasmate, quod queritur: tunc excitatur phantasma, & motum fibrarum modificat. Hinc talis perceptio, talisque spirituum animalium determinatio. Hinc talis actio appetitus materialis, & talis passio.

RESPONSIO IV.

Voluntas imperat despoticè virtuti motrici membrorum externorum.

Prob. Nam pro arbitrio movemus v. g. pedes & manus, sic ut non possint non moveri, cum moveri efficaciter volumus, quandiu sana sunt, & expedita ad motum. Porro voluntas imperat etiam despoticè sensibus externis: nam v. g. positis omnibus ad videndum requisitis, possumus videre vel non videre pro arbitrio. Hoc autem imperium est indirectum tantum, quia v. g. in tantum videmus, vel non videmus pro arbitrio, in quantum pro arbitrio, mediante virtute motrice, aperimus vel claudimus oculos.

Quæres. Utrum voluntas etiam sibi imperet? R. Si imperium strictè sumitur, voluntas sibi non imperat, quia ratio superioris & inferioris non possunt convenire eidem secundum idem. At si imperium latius sumitur pro qualibet applicatione ad actionem, voluntas sibi imperat, & quidem despoticè, in quantum se ipsam applicat ad agendum, sic ut non possit non velle aliquid, quando efficaciter, & quidem certa quadam efficacia, vult illud velle. Dico, effi-

caciter: cum enim tantum inefficaciter vult velle aliquid, tunc non vult illud.

Quæres. An non etiam voluntas imperet appetitui sensitivo? *Resp.* Appetitus sensitivus, propriè loquendo, locum non habet in homine. Nam propriè loquendo, appetitus sensitivus est facultas animæ prosecutiva boni, & averfativa mali sensibilis ex prævia cognitione purè materiali, & consequenter facultas animæ purè materialis. Unde appetitus sensitivus brutorum est animantium, non hominis, in quo unica est anima, eaque spiritualis; nec est alia facultas propriè prosecutiva boni, & averfativa mali sensibilis, præter voluntatem, quæ cum sit potentia spiritualis, non agit aut agere potest, & consequenter non prosequitur bonum, aut averfatur malum sensibile, nisi ex prævia cognitione spirituali. Igitur in homine, præter voluntatem, quæ prosequitur bonum, & averfatur malum sensibile ex prævia cognitione spirituali, non est alius appetitus, nisi appetitus materialis, qui, quia purè materialis est, ad quæ distinguitur ab anima rationali, & omnibus ejus facultatibus, estque principium effectivum aut quasi effectivum passionum, seu immutationum illarum, quæ sunt in corpore ad præsentiam aut recordationem boni vel mali sensibilis, nec nisi impropriè appetitus dicitur: eatenus enim prosequi bonum & averfari malum sensibile dicitur, quatenus per immutationem, quam causat in corpore ad præsentiam vel recordationem boni sensibilis, sollicitat voluntatem ad illud prosequendum, & per immutationem, quam causat in corpore ad præsentiam vel recordationem mali sensibilis, sollicitat & adjuvat voluntatem ad illud fugiendum.

Observa. Appetitus materialis, quæ principium est passionum, quibus voluntas sollicitatur ad prosecutionem boni sensibilis abentis, dicitur & est concupiscentia strictè sumpta. Hinc 1. Concupiscentia (supple semper, strictè sumpta) est potentia purè materialis, & adæquatè distincta ab anima rationali. 2. Concupiscentia subjacet immediatè organo sensus interni, quatenus ex tali commotione hujus organi sequitur talis determinatio spirituum; & ex tali determinatione spirituum, talis determinatio concupiscentiæ; & ex tali determinatione concupiscentiæ, talis fit immutatio in corpore. Unde non potest voluntas nisi mediatum in concupiscentiam exercere imperium, mediante scilicet intellectu, & sensu interno, excitando, continuando, promovendo, aut impediendo, minuendo, extinguendo talem commotionem fibrarum organi interni. 3. Voluntas non modo non imperat, sed etiam omnino repugnante, potest concupiscentia erumpere in actus suos, eosque continuare & promovere, quia talis commotio in organo interno potest excitari, continuari & promoveri, voluntate non modo non imperante, sed etiam omnino reluctante. Unde imperium voluntatis in concupiscentiam non est despoticum, sed politicum tantum. 4. Hinc concupiscentiæ motus seu actus quandoque sunt omnino involuntarii, voluntate scilicet, quantum potest, illis repugnante; & tunc sunt effectus peccati originalis, propter quod homo dono integritatis spoliatus est, & possunt esse causa peccati, quatenus ad peccandum sollicitant; at non sunt peccatum, quia omne peccatum voluntarium est & liberum: quandoque sunt voluntarii, voluntate scilicet illos procurante, aut saltem illis non obistente, quantum potest; & tunc cum actu voluntatis, quo procurantur, aut saltem permittuntur, faciunt unum numero peccatum, cujus sunt veluti materiale, actus verò voluntatis formale. Sed

Observa adhuc. Perceptio motus concupiscentialis, seu immutationis illius, quæ fit in corpore à concupiscentia, est actus potentie sensitivæ, quæ ad tactum bene reducit, ac proinde est actus potentie necessariæ, & à voluntate distinctæ: unde nec est, nec potest esse per se & immediatè voluntaria & libera, sed mediatè tantum, & per denominationem extrinsecam,